

15. *Solvitur.*—Respondemus ergo negando sequelam, quia etiamsi non detur concursus prævius in ordine gratiæ, nihilominus quidquid est in homine bene operante conferens ad salutem, totum id habet a Deo, quia in homine nihil hujusmodi invenitur, nisi vel antecedentia auxilia, vel habitus infusi, et actiones eorum, vel in fieri, vel prout sunt actus perfecti, et qualitates quædam. Omnia autem hæc habet homo a Deo, ut ab auctore gratiæ; de antecedentibus enim auxiliis jam satis id ostensum est; de habitibus id nunc suppono ut certum apud omnes; de actionibus in fieri patet ex proxime dictis, quia illæ actiones immediate fluunt a Deo, a quo essentialiter pendent; mediantibus illis actionibus, etiam actus, seu qualitates actuales sunt dona gratiæ Dei, ut supra etiam est declaratum. Quid ergo subtrahitur gratiæ Dei? Numquid quod actiones et actus

non sunt a solo Deo? At hoc, etiam posito concursu prævio, necessario dicendum est. Dicent forte, hoc quod est agere, seu determinari ad actionem, non tribui gratiæ Dei. Verumtamen hoc etiam est falsum, quia agere non est aliquid ultra actionem; ergo si actio est a Deo per concursum simultaneum, etiam agere est a Deo, ex vi ejusdem concursus, et remoto prævio. Determinatio autem, si sumatur ante ipsam actionem, nulla est, et ita nihil ex hac parte tribuitur homini; si vero sumatur, ut per actionem ipsam formaliter fit, sic nihil addit ipsi actioni, neque in se habet aliquid quod non sit a Deo per generalem concursum simultaneum. Quid ergo reale est in donis gratiæ, quod dicatur homo habere sine Deo, seu absque influxu gratuito Dei? Nulla est ergo necessitas prævii concursus. Et hæc de speciebus auxiliorum gratiæ dixisse sufficiat.

FINIS LIBRI TERTII.



INDEX CAPITUM LIBRI QUARTI

DE AUXILIO SUFFICIENTE, QUID SIT, QUIBUSQUE DETUR, ET QUOMODO AD LIBERTATEM VOLUNTATIS CIRCA SUPERNATURALES ACTUS NECESSARIUM SIT.

- CAP. I. *An recte auxilium gratiæ in sufficiens et efficax dividatur.*
- CAP. II. *Utrum auxilium sufficiens non solum homini sit necessarium ut possit operari, sed etiam ut operetur aliquo modo tribuat.*
- CAP. III. *Utrum auxilium sufficiens sit verum auxilium gratiæ internæ, distinctum a lege, revelatione et doctrina.*
- CAP. IV. *Utrum auxilium sufficiens internum in sola gratia excitante consistat, et cum illa convertatur, seu idem omnino sit.*
- CAP. V. *Utrum gratia sufficiens sit tantum actualis, vel etiam habitualem includat.*
- CAP. VI. *An auxilium aliquod vere sufficiens sit ex se inefficax, vel unde id habeat, quando tale esse contingit.*
- CAP. VII. *Utrum auxilium sufficiens detur interdum prædestinatis, vel reprobis.*
- CAP. VIII. *Utrum auxilium sufficiens detur omnibus adultis, quantumvis reprobi sint.*
- CAP. IX. *An et quomodo fidelibus semel justificatis, qui tandem non salvantur, detur auxilium sufficiens ad salutem æternam.*
- CAP. X. *An et quomodo fidelibus peccatoribus semper, dum vivant, gratia sufficiens tribuatur, qua converti et justificari possint.*
- CAP. XI. *Quomodo infidelibus omnibus detur auxilium sufficiens ad fidem et salutem.*
- CAP. XII. *Difficultas circa superiorem doctrinam proponitur, ejusque occasione tractari incipit axioma: Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.*
- CAP. XIII. *Tractatur altera sententia præcedenti contraria, negans datam esse a Deo legem dandi auxilium gratiæ facienti quod in se est per vires naturæ ad servandam legem naturalem.*
- CAP. XIV. *Tractatur tertia opinio, quæ partim a præcedentibus recedit, partim cum utraque convenit.*
- CAP. XV. *Proposite difficultati satisficit, et axioma propositum in vero et catholico sensu explicatur.*
- CAP. XVI. *Difficultati cap. 12 propositæ satisficit.*
- CAP. XVII. *Objectionibus in cap. 13 propositis satisficit.*
- CAP. XVIII. *Quid Augustinus senserit, de sufficienti auxilio, an omnibus adultis detur.*
- CAP. XIX. *Utrum auxilia sufficientia omnibus hominibus æqualiter conferantur ex parte Dei, vel unde eorum varietas seu inæqualitas oriatur.*
- CAP. XX. *De concordia liberi arbitrii cum necessitate sufficientis auxilii prævenientis.*

LIBER QUARTUS.

DE AUXILIO SUFFICIENTE

QUID SIT, QUIBUSQUE DETUR, ET QUOMODO AD LIBERTATEM VOLUNTATIS CIRCA SUPERNATURALES ACTUS NECESSARIUM SIT.

PRÆLUDIUM.

1. *Cardo difficultatis.* — Explicuimus hactenus omnes tam habituales quam actuales gratias, quibus Deus liberum arbitrium ad bene operandum confortare, excitare et adjuvare solet; divisionesque omnes quas D. Thomas et alii Theologi antiqui de utraque gratia nobis tradiderunt, pro viribus declaravimus. Nunc tractanda succedit illa non minus antiqua quam obscura difficultas, quomodo hæc necessitas et efficacitas gratiæ, præsertim actualis, cum libertate arbitrii ejusque usu componi, et in concordantiam redigi possit. Quod ex duobus punctis pendet: unum est, quomodo hæc auxilia dent voluntati liberæ potestatem volendi; aliud est, quomodo dent illi ipsum velle; duo enim ad libertatem necessaria sunt, scilicet posse velle, et posse nolle seu non velle, ideoque ut voluntas sit libera circa supernaturales actus, necessaria sunt auxilia quæ volendi facultatem conferant, et quæ dent ita ipsum velle, ut potestatem nolendi non auferant. Ad utramque autem explicandum data est a Theologis alia divisio auxiliantis gratiæ in sufficientem et efficacem, quam licet antiquiores Theologi sub his terminis expresse et formaliter non tradiderint, rem ipsam in diversis locis frequenter, et prout occasiones occurrerant, docuerunt.

2. *Proponitur distributio tractandorum.* — Hoc vero tempore, propter novorum hæreticorum instantiam, et propter aliquas controversias etiam inter Catholicos ea occasione subortas, illa divisio expressius tradita et accuratius declarata est: ideoque in hoc et sequenti libro, circa illius disputationem et explicationem immorabimur, in hujus initio illam præmittendo, et deinde prius membrum sufficien-

tis gratiæ in ejus discursu declarando, de altero vero membro efficacis gratiæ in sequenti libro dicemus. Quoniam vero l. 2 et 3 diximus auxilia gratiæ, tam ad naturales actus bonos, quam ad supernaturales esse necessaria, ideo divisio hæc respectu utrorumque dari et intelligi potest: potissime autem locum habet in actibus supernaturalibus, et ideo in ordine ad illos eam explicabimus. Doctrina vero cum proportionem de auxiliis etiam necessariis ad naturales actus intelligenda est, facileque erit legentibus illam applicare et accommodare, suppositis principiis in superioribus positis. Nos itaque, ne prolixiores simus, in generali loquemur; ubi autem aliqua differentia notatu digna occurrerit, illam indicare non omittemus.

CAPUT I.

AN RECTE AUXILIUM GRATIÆ IN SUFFICIENTEM ET EFFICAX DIVIDATUR.

1. *Rationes dubitandi proponuntur.* — Prima. — Rationes dubitandi esse possunt: prima, quia vel hic dividitur gratia actualis sola, vel habitualis sola, vel gratia dans vires voluntati ut abstrahit ab utraque. Primum dici non potest, quia gratia actualis sine habituali non sufficit, neque efficax est, alias superflua esset habitualis. Eademque ratione non potest dici secundum, quia multo minus sufficit habitualis gratia sine actuali, ut per se notum est. Nec etiam dici potest tertium, quia parvulis datur sufficiens gratia, et tamen non datur actualis, sed habitualis sola. Adulti vero habent sufficientem gratiam cum sola actuali sine habituali, ut de infidelibus constat, imo etiam effi-

cacem possunt habere ad aliquas operationes sine habituali gratia: ergo nullo ex dictis modis potest divisum illius partitionis subsistere, ac proinde neque ipsa divisio. Secundo, est similis difficultas, quia vel ibi dividitur gratia excitans tantum, aut adjuvans tantum, aut utraque simul: nihil autem horum videtur dici posse; ergo. Probatur minor quoad singulas partes: nam gratia excitans, præcise sumpta, nunquam potest esse efficax, quia sine adjuvante non potest in opus prodire, et si non operatur, efficax non est. E contrario vero adjuvans gratia nunquam est tantum sufficiens, quia semper operatur, ut supra visum est, et ita semper est efficax; et eadem ratione non potest hic dividi aggregatum ex utraque gratia, quia ubi gratia excitans et adjuvans simul concurrunt, semper habent effectum, et ita semper ex illis consurgit gratia efficax; ergo non datur locus sufficienti. Unde est tertia ratio, quia illo duo membra non possunt convenienter distingui, nam imprimis omnis gratia efficax est sufficiens; quomodo enim faciet nisi sit ad efficiendum sufficiens. Respondet aliquis sufficientem dici quæ est tantum sufficiens, id est, quæ ita sufficit, ut nunquam faciat; sed contra, quia vel gratia sufficiens nunquam faciet, quia de se est inefficax, vel solum quia voluntas non vult. Si primum dicatur, revera illa gratia non est sufficiens, quia si de se est inefficax, de se est impotens; non ergo sufficiens: si vero dicatur secundum, sequitur gratiam reddi inefficacem per liberum arbitrium, ac subinde gratiam non recte dividi in sufficientem, sed deberet dividi in eam cui non adjungitur liberi arbitrii cooperatio. Quarto, argumentor in hunc modum, quia gratia sufficiens, vel includit omnem gratiam necessariam ad actum, seu ad vincendum peccatum, vel ad salutem, aut illam non includit. Si dicatur primum, illa gratia non est tantum sufficiens, sed etiam efficax, quia efficax gratia est una ex necessariis ad salutem. Si vero dicatur secundum, talis gratia non potest dici sufficiens, nam illa causa est sufficiens ad aliquem effectum, quæ ad minimum includit necessaria ad producendum talem effectum; non ergo apparet quomodo possint illa membra distingui.

2. *Divisio gratiæ in sufficientem et efficacem displicet Semipelagianis.* — Et aliquibus recentioris ævi Theologis. — Hanc partitionem videntur olim Semipelagiani abhorruisse ex parte illius membri gratiæ efficacis. Cum enim Augustinus, lib. de Corrept. et grat., cap. 11,

12 et 13, aliis verbis illam tradere visus esset, dicens unam esse gratiam quæ dat homini bene operari, aut perseverare, si velit; aliam vero esse quæ dat ut perseveremus, vel non peccemus, aut bonum velimus, illis maxime displicuit, ut Hilarius in Epistol. ad Augustinum refert, dicens: *Molestè ferunt ita dividi gratiam quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc vero Sanctis ad regnum prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Hæc enim sunt verba Augustini, in quibus illa divisio contineri visa est, et ideo illam molestè tulerunt Semipelagiani, quia putabant juxta illa duo gratiæ membra quibusdam fieri impossibilem viam salutis, quia non datur eis gratia qua perseverent; aliis vero imponi necessitatem salutis, quia datur eis gratia qua non nisi perseverantes sint. His etiam temporibus divisio hæc ex eodem capite aliquibus impugnata est, præsertimque contra illam ex professo scripsit Paulus Bennius, Theologus Patavinus, in libello quem ad dirimendas controversias de auxilio sufficiente et efficaci scripsit. Credidit non melius dirimi posse, quam divisionem hanc de medio tollendo: nam illam putat esse novam, et a Scriptura divina, et a Patribus alienam, occasionemque dissentendi inter se Catholicis tribuisse. Et in hanc sententiam allegat Osorium, lib. 9 de Justitia, ubi prope initium in hanc divisionem invehitur, quamvis, si attente legatur, non tam divisionem quam indebitum modum illam intelligendi et interpretandi improbare videatur. Allegat etiam J. Anton. Delphium in lib. de Justific., inter explicandas gratiæ partitiones, et Coelium, lib. 2 Instit., c. 3, et lib. 4, c. 24, qui negat hanc divisionem ex altera parte gratiæ sufficientis; dicit enim facultatem consequendi salutem nulli promitti, vel dari, nisi illis qui efficaciter illuminantur et salvantur, et loquitur consequenter cum efficacem gratiam ponat in motione necessitante voluntatem, ut infra videbimus.

3. *Tenenda tamen est, sed explicatione a verborum ambiguitate purganda.* — Vox gratiæ efficacis quomodo sumenda. — Gratia sufficiens et efficax quomodo distinguantur. — Nihilominus tamen negari non debet nec potest quin illa divisio, in aliquo vero sensu, bona et neces-

saria sit : oportet tamen verborum ambiguitatem cavere, ne divisio male intellecta errandi occasio sit, et imprimis vox illa *efficax* est æquivoca : interdum enim dicitur causa vel principium efficax in actu primo tantum, quia vim activam habet potentissimam ad effectum præstandum, quantum est ex se : interdum vero ille terminus, efficax, involvit non tantum actum primum, sed etiam secundum; sic dicitur causa efficax, quia non tantum vim habet, sed etiam in seipsa consequitur effectum. Priori modo dici poterit auxilium gratiæ efficax, licet actu non faciat intentum effectum, quia de se efficaciam habet, et sic minima charitas dicitur efficax ad vincenda omnia peccata, licet illa effectu non vincat, et hoc modo sæpe Patres vocant gratiam Dei efficacem, ut in sequentibus videbimus, et sumitur ex verbis D. Pauli ad Hebr. 4 : *Vivus enim est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipite, etc.*; non potest autem in hoc sensu sumi in hac divisione, quia hoc modo auxilium sufficiens est efficax de se, quia quantum est ex se, potestatem habet et efficaciam in actu primo, respectu effectus per illud intenti. Sumitur ergo in præsentia illa vox *efficax* posteriori modo : sic enim dicitur vocatio efficax quæ consequitur effectum : sicut dicitur oratio efficax quæ impetrat postulatum. Constat autem causam sic efficacem esse etiam sufficientem, quia non consequeretur effectum nisi ad illud esset sufficiens, sicque dixit D. Paulo : *Sufficit tibi gratia mea; virtus in infirmitate perficitur*, 2 Corinth. 11; gratia enim illa quæ dabatur Paulo ad stimulum carnis superandum, et ad proficiendum in infirmitate, efficax profecto erat, et effectum consequeretur, et nihilominus merito dicitur sufficiens contra adversarium. Quod etiam idem Paulus ait 2 Corinth. 3 : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, verissimum est de sufficientia quæ conjunctam habet efficaciam, et ita allegatur in Concilio Arausic., cap. 7, licet possit etiam de quacumque intelligi. Ut ergo gratia sufficiens ab efficaci distinguatur, necesse est ut illud sufficiens cum præcisione sumatur, significetque gratiam illam, quæ licet sufficiens sit, ac proinde efficax in actu primo, nihilominus tamen sufficiens permanet, et effectum non consequitur. Efficax autem dicitur quæ non solum est sufficiens, sed etiam effectum operatur. Unde autem habeat sufficiens ut ultra non ingrediatur, nec consequatur effectum, efficax

vero habeat actu operari, in discursu hujus et sequentis libri exponendum est, in hoc enim tota difficultas hujus materiæ posita est. Oportet autem ulterius hoc loco advertere auxilium gratiæ, de quo tractamus, dari voluntati ad operandum, unde comparari potest, vel ad effectum, seu ad actum voluntatis, vel ad voluntatem ipsam; et priori quidem modo, scilicet respectu actus procedunt recte omnia quæ in præcedenti puncto animadvertimus. Diciturque more loquendi Augustini, auxilium sufficiens quod dat potestatem efficiendi actum; efficax vero dicitur quod non dat tantum posse, sed etiam facere. Et hoc modo distinguit sæpe D. Thomas Christi meritum, vel quoad sufficientiam, vel quoad efficaciam, ut in 3, d. 13, q. 2, art. 2, quæstiunc. 1, ad 5, et d. 19, q. 1, art. 1, quæst. 2, ad 3; quoad efficientiam enim vocat, id est, quoad effectum, ut explicat 3 p., quæst. 79, art. 2, ad 2. Quia vero, ut dictum est libro præcedenti, per auxilia gratiæ non solum facit Deus actus voluntatis nostræ, sed etiam inducit voluntatem ad volendum, et facit ut velit et faciat, ideo etiam respectu voluntatis nostræ potest auxilium sufficiens et efficax denominari. Diciturque sufficiens quando de se inducit et movet voluntatem ut efficiat si velit, ipsa autem voluntas non vult. Efficax autem dicitur quando ita inducit voluntatem, ut cum effectu consensum ab illa obtineat. Et quamvis isti duo respectus sæpe conjungantur, nihilominus non sunt confundendi, quia distincti sunt et separabiles : nam in actibus malis auxilium generale per modum concursus distingui potest, priori modo, in sufficiens et efficax, ut per se patet, quia ei qui non peccat, præbet Deus de se sufficientem concursum, ut actum qui est prævus facere possit si velit; ei autem qui peccat etiam efficacem concursum præbet, dando non tantum potestatem, sed actum; et tamen posteriori loco non habet locum divisio in actibus malis, quia Deus nec sufficienter, nec efficaciter ad illos inducit, neutroque modo facit ut illos faciamus; sed hoc est maxime proprium auxilium gratiæ. Et ideo in hoc posteriori sensu præcipue intelligitur divisio, licet etiam in priori procedat.

4. *Probatur divisio gratiæ sufficientis et efficaciæ.*—*Gratia sufficiens ex sacra Scriptura.*— Sic ergo terminis explicatis probatur, primo ex Scriptura, divisio, quia res per illa membra intentæ præcipue in Scriptura dicitur : nam imprimis auxilium sufficiens traditur in omnibus locis in quibus hominibus

imputatur, quod non operantur ea quæ ad salutem pertinent, cum per auxilium Dei possint; quod enim auxilia gratiæ dent voluntati humanæ potestatem ad supernaturaliter operandum, probant illa verba Joan. 1 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; et illa Christi : *Sine me nihil potestis facere*, Joan. 6; et illa Pauli : *Sufficientia nostra ex Deo est*, 2 Corinth. 3; quia a Deo habemus posse cogitare sicut oportet, ut ibi notat D. Thomas, et sæpe in superioribus dictum est. Item 1 Cor. 10 : *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis*; quia nimirum sine illius auxilio non possumus, ipse autem non negabit auxilium quo possumus temptationi resistere. Unde est etiam ad Philip. 4 : *Omnia possum in eo qui me confortat*. Deinde hæc auxilia sæpe dare potestatem sine operatione, quia homo consentire non vult, in Scriptura frequenter asseritur, Matth. 23 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* et Joan. 15 : *Si non venissem, et locutus eis fuisset, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo*; et infra : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, usque ad illud : *Ut impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Et odio me habuerunt gratis*; ubi ponderanda est illa particula, *gratis*, quæ aperte significat ex suo arbitrio voluntate prava restitisse divino auxilio de se sufficientissimo. Quod etiam satis convincunt illa verba : *Nunc autem excusationem non habent*; nam si ex parte Dei aliquid necessarium defuisset, quod in hominum illorum potestate non esset, haberent plane excusationem de peccato suo. Quapropter licet Christus Dominus exteriora tantum auxilia commemoret, sub illis comprehendit interna, quæ medio verbo Dei tanquam organo divinæ virtutis tribuuntur. Ita ergo Christus ad aures corporis loquebatur, ut etiam cor excitaret, quia vivus est sermo Dei et efficax, ut dixit Paulus, et ita Christus faciebat signa et virtutes coram Judæis, ut etiam illorum mentem illuminaret ad vim illorum intelligendam, si per eos non staret, alioqui excusationem haberent de peccato suo, quia externa objecta ostendunt tantum veritatem, non tamen dant homini potestatem intelligendi et credendi sicut oportet, nisi adsit internum Dei auxilium : si ergo hoc internum omnino defuisset illis hominibus, excusationem profecto haberent; cum ergo Christus dicat non habuisse excusationem, profecto de-

clarat illa opera et verba externa habuisse conjunctum, vel paratum auxilium internum, quia non fide ab ipso dicebantur, vel fiebant, sed ita ut possent cor illuminare et immutare.

5. Et ideo dicebat Stephanus ad Judæos, Actor. 7 : *Vos semper Spiritui Sancto restitistis*, quia non solum externæ Christi et Apostolorum, et Prophetarum prædicationi, sed internæ etiam Spiritus Sancti inspirationi restiterunt, ut in eodem sensu dixit Matth. 11 : *Væ tibi, Corozain, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis*; et infra : *Veruntamen dico vobis, Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis*. Hinc enim constat auxilium illud, datum Judæorum populo, fuisse de se sufficiens, licet effectum non habuerit, ut ponderat Augustinus in Enchirid., cap. 95, unde hanc gratiam supponit Petrus, 2 can., cap. 1, cum dicit : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*.

6. Denique quod ex parte Dei nihil desit cum confert hujusmodi auxilium, etiamsi in homine non habeat effectum, testatur ipse Deus, dicens per Isai., cap. 5 : *Quid amplius debui facere vineæ meæ, et non feci? Oseæ 13 : Perditio tua, Israel, ex te*; quasi dicat : Tibi soli attribue perditionem tuam, qua ex parte mea nihil defuit, et hoc est quod subjungit : *Tantummodo in me auxilium tuum, utique sufficiens : nam si esset deficiens, ex ea parte non Israeli, sed Deo esset tribuenda Israelis perditio*. Et ideo Sapiens, Eccles. 15, cum de justis dixisset : *Qui timet Deum faciet bona, et qui continens est justitiæ, apprehendet illam, etc.*, de peccatoribus vero addidisset : *Homines stulti non apprehendent illam, etc.*, adjungit : *Non dixeris : Per Deum abest*; ac si diceret : Si cares justitia, non dicas : Per Deum mihi abest; non enim per Deum stat quod illa absit, sed per te, et ideo non potest Deo imputari injustitia tua; ut notavit Augustinus de Grat. et liber. arbitr., cap. 2.

7. *Gratia efficax ex eadem Scriptura.*— Alterum membrum de gratia efficaci, si generatim sumatur pro gratia, non tantum dante potestatem, sed etiam faciente in nobis ipsum velle, seu actum, et operationem, juxta mentem Augustini, lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 14 et 17, probatur omnibus illis locis quibus hic effectus tribuitur gratiæ Dei, ut cum Paulus ait ad Ephes. 2 : *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, donum enim Dei est*, ubi non solum posse justificari aut cre-